

bat ille, se nominatum esse: *nullum malum, magnum piscem*. Sed distinctio hæc est: ἄδεις, κακός, μέγας, ἰχθὺς h. e. *est nullius pretii, malus, ingenti corporis mole, mutus piscis instar, i. e. infacundus, malè canorus*.

Sic Photiniani Christi dictum ita interpungunt. *Dico tibi hodie, mecum eris in Paradiso*. Pro, *dico tibi, hodie &c.*

Canon Sophisticus.

Quæ separatim sunt vera, ea quoq; vera sunt conjunctim.

Solutio.

Dividenda sunt, quæ Sophista composuit, ut: *Demades est magnus & Orator*. *E. est magnus Orator*. Dicendum tò magnus est quantitatis corporeæ, & in *Majore divisione* sumitur? *Minor verò conjunctim arripit.*

CAPUT IV.

Divisio est argumentario captiosa, quum separantur vitiosè ea, quæ conjunctim sunt vera. Item quando dicta mutilata sive truncata allegantur. Ita Diabolus